Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Providentia Dei Optimi Maximi, Avspiciis Serenissimi Principis Ac Domini Domini Georgii Gvilelmi Marggravii Brandemb. Prvss. Magdebvrg. Stetin. Pomeran. ... Dvcis ...

Flessa, Johann Adam

Barvthi, MDCCXXVI.

urn:nbn:de:gbv:45:1-484221

Visual Library

PROVIDENTIA DEI
OPTIMI MAXIMI,
AVSPICIIS
SERENISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
GEORGII
GVILELMI
MARGGRAVII BRANDEMB. PRVSS.
MAGDEBVRG. STETIN. POMERAN. CASSVB.
VANDAL. MEGAPOLITANOR. ITEM IN SILESIA CROSSENS.
DVCIS, BVRGGRAVII NORIMBERG. PRINCIPIS HALBERSTAD. MINDENS.
CAMINENS. VANDAL. SVERIN. ET RAZEBVRG. COMITIS HOHENZOLLE-
RANI, ET SVERIN. DITIONIS ROSTOCHIENS. ET STARGARD. DOMINI,
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS ET S. R. IMPERII, CIRCVLI ITEM FRAN-
CONICI GENERALIS CAMPI MARESCHALLI, SVMMI EQVITATVS PRAE-
FECTI, ET TRIVM LEGIONVM EQVEST. AC PEDESTR. DVCIS,
ET RELIQVA,
PATRIS PATRIAE INDVLGENTISSIMI,
NATALEM LXIII.
ILLVSTRIS COLLEGII
CHRISTIAN-ERNESTINI
A. D. III. KAL. AVG. cIↃ IↃ CC XXVI. SOLEMNITER CELEBRANDVM
INDICIT
AD ORATIONEM
DE
VISITATIONIBVS ECCLESIASTICIS IN BVRG-
GRAVIATV SVPERIORE SAECVLO XVII. HABITIS
INVITAT,
SIMVLQVE
DE DICTATIBVS GREGORII VII. P. R.
PRAEFATVR
IO. ADAMVS FLESSA,
HIST. ET MATH. P.P.

BARVTHI,
PRELO IOANNIS LOBERI, AVLAE CANCELLARIAE ET ILL. COLLEGII
CHRISTIAN-ERNESTINI TYPOGRAPHI.

Landesbibliothek Oldenburg

DICTATIBVS R.



Felicitatem ec
gionis tempor
attulit, non sati
imaginem repr
cultus amorem
turbatus, caele
sempiternae te
aetatis memori
patrum nostroque saeculo gratulari :
ctius, moribus innocentius, discipli
politius, sententiis liberius est. Equ
seruos, suos ueritati testes, suos ep
enim aliud *Flacius Illyricus cat*
saeculo undecimo *Petrus Damia*
ausi ? Deus immortalis, qua dicendi
Qua magnitudine animi dominatum
curam, & non ocio torpeas, ne & tib
to minus inueniri oportet aut deliciis
rum tibi tabulae testatoris adsignant.
ram potius haereditabis & operam, qua
cula est. Inde denique superintendis,
officium. Ac paullo post : *Planum*
tu, & tibi usurpare aude aut dom
Plane ab alterutro prohiberis. Si ut
Nec dissimilis fere usquam est sibi B
buendae temporum magis, quam h
MIANI, quamuis auctoritatis Apostolicae, uti tum moris erat loqui, acerrimus pro-

urgatae reli-
lignior libertas
a earum rerum
inctum sanioris
rime fuit con-
a nox, & quasi
istissimae illius
possumus non
ere in uita san-
sanius, litteris
os *Christo*
gnoro. Quid
enderat ? Ac
quid illi non
genium P.M.?
nquit, 2.) *ad*
ciosus ? Mul-
. *Nihil bo-*
ntentus sis, cu-
athedra? Spe-
dominium, sed
us. I ergo &
s dominatum.
les utrumque.
ris, quae tri-
vs autem Da-

1.) Libris V. de considerat. Opp. Bernardi p. 859. sqq. 2.) L. II. de consider. cap. VI. p. 863.

Landesbibliothek Oldenburg

DE DICTATIBVS GREGORII VII. P.R.

FElicitatem ecclesiae, quam inde a perpurgatae religionis tempore maior, & Christianis institutis dignior libertas attulit, non satis intelligeremus, nisi nobis historia earum rerum imaginem repraesentaret, quibus rebus post exstinctum sanioris cultus amorem uniuersus orbis Christianus miserrime fuit conturbatus, caelestique ueritati caecae nubes, atra nox, & quasi sempiternae tenebrae fuerunt obductae. Tristissimae illius aetatis memoriam dum recolimus animo, non possumus non patrum nostroque saeculo gratulari: quippe quod, etsi non magnopere in uita sanctius, moribus innocentius, disciplina melius; tamen in doctrina sanius, litteris politius, sententiis liberius est. Equidem nec turbidis temporibus suos CHRISTO seruos, suos ueritati testes, suos episcopis monitores non defuisse ignoro. Quid enim aliud FLACIVS ILLYRICVS *catalogo testium ueritatis* animo intenderat? Ac saeculo undecimo PETRVS DAMIANI, duodecimo BERNARDVS, quid illi non ausi? Deus immortalis, qua dicendi libertate posterior utitur 1.) ad Eugenium P.M.? Qua magnitudine animi dominatum episcopo abiudicat? EVIGILA, inquit, 2.) *ad curam, & non ocio torpeas, ne & tibi dicatur: Quid hic stas tota die ociosus? Multo minus inueniri oportet aut deliciis resolutum, aut resupinum pompis. Nihil horum tibi tabulae testatoris adsignant. Sed quid? Si illarum tenore contentus sis, curam potius haereditabis & operam, quam gloriam & diuitias. Blanditur cathedra? Specula est. Inde denique superintendis, sonans tibi episcopi nomine non dominium, sed officium.* Ac paullo post: *Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I ergo & tu, & tibi usurpare aude aut dommans apostolatum, aut apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis. Si utrumque similiter habere uoles: perdes utrumque.* Nec dissimilis fere usquam est sibi BERNARDVS, si ab iis rebus discesseris, quae tribuendae temporum magis, quam hominum culpae uidentur. PETRVS autem DAMIANI, quamuis auctoritatis Apostolicae, uti tum moris erat loqui, acerrimus pro-

1.) Libris V. de considerat. Opp. BERNARDI p. 859. sqq. 2.) L. II. de consider. cap. VI. p. 869.

propugnator, temperare tamen non potuit, quo minus grauiter interdum in Pontificum uitia inueheretur. Testis est 3.) Baronivs, non dissimulat 4.) Spondanvs, confirmant plures 5.) alii. Nihilo tamen secius Pontifices Romani, & in primis Gregorivs VII. cui Hildebrando antea nomen, preces populi, admonitiones amicorum, castigationem antistitum, obiurgationes aduersariorum, querelas bonorum, lacrumas ecclesiae, iudicium posteritatis nihil ueriti, dominatum impotentissimum ceruicibus Christiani orbis imposuerunt. Atque eo quoque tempore Gregorivs VII. famosos illos Dictatvs, siue sententias de summa P. R. auctoritate ac potestate condidisse fertur. Qui Dictatvs utrum ab ipsius Gregorii profecti calamo ingenioque sint; an a nescio quo conficti nomen modo eius mentiantur, libet in praesenti anquirere. Vtrique opinioni qui adhaereant, equidem reperio. Sed eorum, qui genuinum esse foetum sibi persuadent, est & auctoritas tanta, & eruditio tam excellens, & multitudo tam incredibilis, ut, si quis intercedendum eorum decreto putet, is propemodum summae se temeritatis crimine obstricturus esse uideatur. Quis enim non obstupescat ad ipsius 6.) Gregorii VII. epistolas? ad confessionem 7.) Onvphrii Panvinii? ad testimonium Caesaris 8.) Baronii? ad consensum 9.) Spondani? ad auctoritatem Petride o) Marca? denique ad diligentiam Edmvndi 1.) Richerii? Nostros enim, 2.) Zieglervm, 3.) Wagenseilivm, 4.) Layrizivm, 5.) Rechenbergivm, 6) Weismannvm, 7.) Gerhardvm uon Mastricht, & fortasse infinitos alios silentio praeterire, quam ambitiosius laudare malo: ne ueritati minus uidear, quam studio partium tribuisse. Hi omnes *dictatus Gregorianos* originis esse non spuriae partim non dubitanter credunt, partim magnopere etiam contendunt. Mira contra est eorum paucitas, qui *dictatus* istos in discrimen ficti ae originis uocarunt. Ego enim, praeter Natalem 8) Alexandrvm, Clavdivm 9.) Flevrivm, Eliam o.) Pinivm, & Simonem Frid. 1.) Hahnivm, noui neminem. Nihilo minus tamen, non ubi numerus est auctoritatum, sed ubi pondus argumentorum, eo pedibus eundum. Vti enim alias plerumque: sic etiam in historia solet usu uenire, ut alius alium, tanquam grus gruem, saepius impetu raptus, quam certo consilio adductus, sequatur. Itaque subditicios esse illos *dictatus*, nec dubitauerim facile, & argumentis firmabo. Sunt autem earum sententiarum, quae uulgo Dictatvs Gregorii VII. appellantur, numero uiginti septem. Quas ut hoc loco exscribam, neque chartae angustia patitur, neque opus uidetur esse: quippe cum apud 2.) Baronivm, Hardvinvm, Richerivm, 3.) Schiltervm, 4.) Zieglervm, aliosque plures, integri reperiantur; ac nemo facile rerum in ecclesia gestarum tam ignarus sit futurus, quin eas sententias habeat cognitas. Hoc autem operae pretium est monere, *dictatus* appellari, more scriptoribus aetatis mediae familiari. Tum enim *dictare* idem erat atque conscribere, aut litteris consignare, ac stilo prosequi: quia ueteres, quum librum, carmen aut epistolam componerent, in scribendo librariis utebantur, quibus ipsi sua dictabant. Atque eam uocabuli uim egregie cumulatisque exemplis demonstrauit uir illustris, Io. Georgivs 5.) Eccardvs. Dictatus itaque sunt sententiae breuiores scripto consignatae, quas uulgo theses siue propositiones diceremus. Minus apte, nec satis ad leges Grammaticorum censet Ger. Von 6.) Mastricht, qui: *Haec axiomata*, inquit, *& egregia sedis Romae priuilegia quare dictatus uocauerit Gregorius, illud non obscure ex ipsis dictatibus colligi potest. Dicta-*

)(2 *turam*

3) Annal. T. XI. ad a. 1061. 4.) Epit. Annal. Baron. ad a. 1053. nr. III. 5.) uid. Weismannni Introduct. in memorab. hist. eccl. T. I. p. 727. 6) T. VI. Concil. Hardvin. p. 1304. L. II. *post epist.* LV. 7.) *in uita Gregorii VII.* 8.) T. XI. *Annal. ad* a. 1076. nr. XXX.-XXXIV. 9.) *in epit. annal. Baron. ad* a. 1076. nr. V. o) *de concord. sacerd. & imper.* L. VII. c. XXVI. §. IV. 1.) *Hist. concil. gener.* L. I. c. XIII. §. III. 2.) *de orig. & increment. iuris canon.* p. 36. 3.) *Pera libror. iuuenil. locul.* III. p. 249. 4.) *Hist. eccles. saec.* XI. §. II. not. 18. 5.) *Hist. eccles.* saec. XI. 6.) *Introduct. in memorab. Hist. eccl.* T. I. p. 745. 7.) *in hist. iuris eccles. & Pontific.* §. 256. sqq. 8.) T. VI. *Hist. eccl. conf.* Hahns Reichs-Historie/ P. III. p. 122. 9) T. XIII. *hist. eccl. conf. Acta erud. supplem.* T. VI. p. 326. o) *dans la Biblioth. des autheurs eccles.* T. VIII. saec. XI. cap. V. p. 68. & 69. 1) Reichs- und Kayser-Historie P. III. pag. 122. 2) l. cc. 3.) *de libert. eccles. Germ.* L. IV. c. V. §. XXXV. 4.) l. c. 5.) *de legibus Franc. Salic. & Ripuar.* p. 4. 6.) *Hist. iuris eccles. & Pontif.* §. 256.

Landesbibliothek Oldenburg

turam summum olim in re publica magistratum, & quidem non per sex menses, sed ad Iulii Caesaris exemplum perpetuo illi stabiliunt & defendunt. A dictatura itaque recte dictatus appellantur. Inueterauit opinio, *dictatus* nostros a. c. cIↃ LXXVI. concilio Romano III. fuisse a Gregorio exaratos promulgatosque. BARONIVS 7.) certe haec memoria prodidit: *Ad hanc quoque Synodum spectare noscuntur, quae superiori libro positae leguntur eiusdem Gregorii Papae sententiae breuiores, quae hoc titulo inscriptae habentur: Dictatus Papae. Ita ob emergentes & urgentes casus praesentis schismatis declaratae & promulgatae, quae hactenus in ecclesia catholica usu receptae fuissent, ut ita uel ex his reprimeretur audacia schismaticorum episcoporum & principum hoc tempore in Romanam ecclesiam insurgentium.* Dissentiunt a BARONIO, quod ad annum attinet, ONVPHRIVS 8.) PANVINIVS, & PETRVS 9.) de MARCA, quorum uterque annum cIↃ LXXIV. ponit, quo quidem concilium Romanum I. a Gregorio coactum in basilica Lateranensi, cui Constantinianae nomen, inter omnes constat. At enimuero, si planum fecero, *dictatus* illos Gregorium non agnoscere patrem, disceptatio de anno confectionis per se ipsa cessabit. Id autem ut mihi persuadeam, his inducor argumentis. Primum etsi *dictatus* in ipsas EPISTOLAS 0.) GREGORIANAS inserti sunt: nulla tamen eis inuicem intercedit cognatio, qua se attingant; nullum uinculum, quo contineantur; nulla copula, qua constringantur. Quae antecedit epistola (est autem quinquagesima secunda L. II.) datam inuenimus ad Laudenses V. Non. Mart. indictione XIII.; quae sequitur, ad Manassem, Archiepiscopum Rhemensem, IV. Non. Mart. indictione eadem. Neutra uero ne leue quidem prodit indicium earum sententiarum. Vt mirari subeat, qua ratione factum, ut eum locum occuparent, qui alienus plane ac minime omnium proprius esse uideatur. Nec est, cur quisquam suspicetur, alio fortasse reiici oportere. Accidit quidem haud raro in libris antiquis, ut turbaretur ordo, nec suo quaeque loco reperirentur: quod acerbissime saepe molestissimeque tulit querula Criticorum natio. Atque in ipsis epistolis Gregorianis aliquoties id obseruari ab HARDVINO meminimus. At enim uero legas licet, ac relegas, epistolarum libros omnes; nulla *dictatuum* mentio, nullum uestigium, nulla ne umbra quidem. Desinamus igitur argumentari, scriptum aliquod eius esse auctoris oportere, cuius inter reliqua forte scripta compareat. Accedit, quod ACTA quoque CONCILIORVM, ad utrumuis annum referas licet, siue ad cIↃ LXXIIII. siue ad cIↃ LXXVI. prorsus taceant. Quae quum sat multis exponant uerbis, quid a. cIↃ LXXVI. in primis gesserit conuentus Romanus, in quos fulmen uibrarit, quibus cauſſis adductus ad id consilii fuerit: ueri profecto parum simile uidetur, si praeterea tanti momenti res fuisset perfecta, quanti consignatio *dictatuum*, eam obliuione sepultum & oblitteratum iri. Quod enim de Romulo suo 1.) LIVIVS, id nos de Gregorio VII. aliquo modo possumus praedicare, *ipsum cum factis uirum magnificum, tum factorum ostentatorem fuisse haud minorem.* Patuit hoc tum, quum HENRICVS Augustus Canusii abiectissimo & ignominioso admodum imperatoriae maiestati modo anteactorum poenitentiam declarasset. Summa Pontifex celeritate, nec minore gloriatione omnia in Germaniam nuntiauit, ut de sua uictoria inter omnes constaret. Quod ACTA CONCILIORVM ignorant, id nec ullius quoque inter historicos adfirmatione stabilitur. Ego profecto non uideo, qua ratione historici quidam summae existimationis, excellentis industriae, haud mediocris fidei, qui res eo concilio gestas exposuerunt, adeoque negotium tam insigne ex historiae lege omittere non debuerunt, uel fraudis reprehensionem effugere, uel negligentiae culpa carere queant, si quidem hic BARONII esset aut PANVINII standum auctoritate. Quis enim praeterea monimentis annalium quidquam ea de re commendauit? Non 2.) SIGONIVS, qui iuribus Apostolicae sedis uel laudandis, uel communiendis mirifice inseruit: non 3.) AVENTINVS, qui Gregorii inflammare inuidiam multo studio laborat: non 4.) SIGEBERTVS GEMBLACENSIS, qui Gregorii arrogantiae uix perdot. & imper. L. VII. c. XXVI. §. 40.) HARDVINI T. VI. concil. P. I p. 1304. 1.) L. I. cap. X.

7.) T. XI. *Annal. ad a.* 1076. nr. XXXI. 8.) *in uita Gregorii VII.* 9.) *de concordia sacer-*
2.) L. IX. *de regno Ital. ad a.* 1076. 3.) *Annal. Boior.* L. V. p. 350. sqq. 4.) Chron. ad a. 1076.

perciſſet: denique non Otto 5.) Frisingensis, qui, quum incrementa Pontificis Romani potentiae non ſine admiratione contemplatus in hanc ſententiam ſcriberet: *Lego & relego Romanorum regum & imperatorum geſta, & nuſquam inuenio, quenquam eorum ante hunc* (Henricvm) *a Romano Pontifice excommunicatum uel regno priuatum*: Quid iudicaturum fuiſſe opinemur, ſi qua *dictatuum* uel obſcurior ad eum notitia peruenisſet? Digito monſtrare origines dominationis papalis potuiſſet, & infractam imperatoriae maieſtatis uim uno uerbo docere, ſi ad *dictatus Gregorianos* prouocaſſet. Quod poſtremum eſt, ad ipſius 6.) Henrici IV. Epistolas uenio. Quae quum iniurias Hildebrandi, arrogantiam, res improbiſſime geſtas cum luctu, & gemitu, & lacrumis conquerantur, acerbiſſimumque dolorem interdum effundant: an ſilentio rem omnium inuidioſiſſimam, *dictatuum* improbitatem, praeteruecturas fuiſſe credamus? Profecto ſi qua re uel ab ipſo Imperatore, uel ab amicis eius atrociſſima inuidiae tempeſtas in Hildebrandvm excitari poterat: nihil fuiſſet, quam *dictatus* iſti, aptius. At ſilentio utuntur omnes, neque umquam ex eo loco impetus fuit in Gregorium factus. Conficimus igitur, eos *dictatus* nemini tum fuiſſe cognitos, nec, ut uulgo perhibetur, a Gregorio concilium agente conſignatos. Niſi forte Iacobi Friderici 7.) Georgii locus relinquendus opinioni, qui uerba Senatus Conſulti Vormatienſis contra Hildebrandum concepta: *Monachus deſertor eſt*, novis dogmatibvs *ſacroſanctam philoſophiam adulterat*, & reliqua, ad *dictatus* refert, hosque tum damnatos exiſtimat. Qua in re illum falli, dubio non caret: tum quod poſt conuentum Vormatienſem demum *dictatus* pleriſque dicuntur conditi; tum quod per noua dogmata matrimonium ordini eccleſiaſtico auferendum, & ius epiſcopos conſtituendi auguſtis abrogandum commode poteſt intelligi. Atque ab hac ſententia, quo quis 8.) Aventinvm legerit diligentius, eo difficilius dimouebitur. Quod ſi cui haec, quibus uſi adhuc ſumus, argumenta nondum ſatisfacere uideantur: ad ipſos *dictatus* iam propius accedamus, & utrum digni auctoris prudentia ſint, candide iudicemus. Niſi autem me omnia fallunt, *dictatus* callidiſſimum Gregorii ingenium neutiquam ſpirant. Aſtutior erat ille Pontifex, quam ut decretis tam impotentibus, tam inuidioſis, tam intolerandis ſuo ipſe, quem moliebatur, dominatui officeret. Melius imaginem ingenii eius & tanquam ſimulacrum in epiſtolis efformatum inuenimus. Cauſſam Dei, commodum eccleſiae, ſalutem hominum, ſemper ſcilicet defixam in animo habebat ſanctiſſimus Pontifex. Non inuadere tyrannidem uelle; ſed eccleſiam uindicare a ui, ab oppreſſione, a ſeruitute uideri cupiebat. Simoniacos, Nicolaitas compeſcere laborabat, quum de muneribus ſacris, de caelibatu clericorum ageretur. Non ſuam, ſed Petri, Apoſtolorum principis, iniuriam ulciſcebatur. Paucis: Conſiliis etſi re ſceleratiſſimis, tamen ſpecie ſanctis innocentibusque ſe dabat. Iniuria igitur fieret magno excellentique ingenio, ſi quid ei abſurdi, ſi quid ſtolidi, ſi quid parum congruens adſcriberetur. Fac, (neque enim repugno) Gregorium fuiſſe Heroſtratum illorum temporum, exitium imperii, peſtem eccleſiae, perniciem Europae, labem ac dedecus orbis terrarum; ea tamen laude numquam priuabitur, quod miris artibus ad eam metam, quam ſibi propoſitam habuerat, decurrerit. Quis itaque in eam opinionem ingrediatur, tale quid a mortalium omnium longe uaferrimo profectum, quod eius rationibus potuiſſet quam maxime aduerſari? Praeter haec de ordine rerum ſi quaeramus, obſecro, quam turbata ſunt omnia in illis *dictatibus*, quam confuſa, quam claudicant cuncta. Videre ibi licet, uti Poeta canit *Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum.*

Gregorio autem id erat ingenium, quod ordinare omnia ſcienter, & ſuum cuique rei locum attribuere non inepte poterat. Ab homine tam excellentis acrisque iudicii nihil ſane debet exſpectari, quod capitis male ſani & elleboro indigentis opus uideatur. Adeat epiſtolas, ſi cui libet, & intelliget, nec iudicandi facultatem Gregorio, nec acumen ingenii, nec ordinem rerum, nec flumen eloquentiae, (uti ferebant

5.) *Chron. Cap.* XXXV. 6.) *ap.* Revbervm p. 274. *edit. nouiſſ.* 7.) *In grauam. nat. Germ. aduerſus ſedem Rom.* p. 32. not. K. 8.) Annal. Boior. L. V. p. 349.

Landesbibliothek Oldenburg

rebant tempora) nec artem scite sensa mentis explicandi defuisse. Quod si fingamus, quod multi pro uerissimo habent, ab integro concilio conflatos *dictatus*: tanto minus in tot uiros ab ingenio usuque rerum commendabiles, praestantibusque animi dotibus insignes, scriptio tam putida cadere poterit. Igitur hi *dictatus*, uti uulgare uerbum habet, 9.) *quasi sorex suo ipsi indicio pereunt.* Vnum est, quod adhuc animaduerti debet. Etiam obscura & ambigua quaedam in *dictatibus* reperiuntur, quae quid sibi uelint, satis diuinari nequit, uel certe minus commode sententia elicitur. Quae quum ita sint omnia, multo minoris *dictatus* eos aestimamus, quam ut Gregorii nomen ferre posse uideantur. At cuius tandem erunt? inquiet fortasse aliquis. Equidem, ne quid dissimulem, quid dicam, nihil fere habeo; quid non dicam, habeo. Non placet illa o.) PINII coniectura, qui a nescio quo Gregorii inimico *dictatus* cusos opinatur, ut Pontifici aegre faceret, eius consilia exagitaret, eum adduceret in inuidiam. Etenim si ita res haberet, publicari *dictatus* necesse fuisset, eosque pati emanare in uulgus, ut tanto acerbius lacerarentur. Id uero quod factum fuerit, nusquam relatum legimus. Quam ob rem probabilius est, a mancipio quodam curiae Romanae fuisse compositos, ut iura, & potestas, & priuilegia Pontificis Romani, si Diis placet, tamquam Homerus in nuce, proponerentur. Neque crediderim, ea aetate *dictatus* esse, ut ad saeculum undecimum referri queant. Si enim accuratius ipsi expendantur, in ea potius tempora mihi quadrare uidentur, quibus Imperii maiestas certaminibus fessa languescensque succubuerat. Itaque HENRICI V. fortasse tempora, uel ea etiam, quae paullo post secuta, pullum illum monstrosum excluserunt. Tum enim, quod ante uel optatum, uel cogitatum, uel leuiter musitatum fuerat, sine ulla uerecundia & dubitatione doceri propugnarique coeptum. Quantum ea tempestate Pontifici fuerit tributum, non sine stupore possumus ex STEPHANO 1.) SZEGEDINO & 2.) SIXTI V. FVLMINE BRVTO cognoscere. Sed, uti iam praedixi, haec non auguror nisi coniectura. Maneat suum cuique de re tam abstrusa censendi arbitrium. Illud autem certi habeo, quod adfirmem, beatum esse nostrum saeculum, nostramque patriam, quod teterrimis *dictatibus* Hildebrandinis auctoritatem abrogatam uidet. Id quum inde ab emendatis potissimum sacris euenerit: haud alienum iudicaui, quum auspiciis SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOM. GEORGII GVILELMI, Marggrauii Brandemburgici, & reliqua, patris patriae optimi, illustre COLLEGIVM CHRISTIAN-ERNESTINVM natalem suum sexagesimum tertium me interprete solemniter nunc agere instituerit, mihique lege nostri Collegii sapientissima de argumento quodam ad historiam patriam spectante dicendum publico nomine sit, quod ante biennium orsus sum argumentum, de uisitationibus ecclesiasticis, persequi, atque ea, quae saeculo XVII. gesta fuerunt, exponere. Agite igitur, Patres conscripti, Mecaenates, Patroni, Fautores, Amici, omnesque litterarum aequi existimatores, dignamini nostrum Collegium ea uoluptate, ut diei tam laeti solemnitatem nobiscum agatis, pro salute SERENISSIMI NVTRITORIS & litterarum aeternitate pia uota nuncupetis, atque ad audiendam orationem de *Visitationibus Ecclesiasticis in Burggrauiatu superiore saeculo XVII. celebratis*, beneuole conueniatis. P. P. Baruthi die festo Iacobi A. C. CIↃ IↃ C C XXVI.

9.) ap. TERENT. Eunuch. Act. V. Scen. VI. o.) Bibliotheq. des Autheurs eccles. l. c. 1.) In speculo Pontific. Rom. Cap. II. p. 16. 2.) p. m. 36. & 66.



Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

